



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
**APOPHLEGMATIZANTIVM**  
INCONSIDERATO VSV,  
**FREQUENTI CATARRHALIVM**  
ADFFECTVVM CAVSA,

---

QVAM  
ADNVENTE  
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PRO OBTINENDO  
**GRADV DOCTORIS**  
D. VIII. SEPTEMBRIS A. S. R. MDCCLIV.  
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
**IOANNES GOTTLIEB SCHNEIDE,**  
HALENSIS MAGDEBVRGICVS.



HALAE,  
LITTERIS HILLIGERIANIS.

DISSERTATIO IN UNIVERSALIS MEDICA

DE

APOPHLEGMATIZANTIVM  
INCONSISTATO VSV  
FROVENTI CATARRHALIVM  
ADFECTIVVM CAUSA

AVT

ADVENTIT

GRATIOSO SINDICORVM ORDINE

IN REGIA FRIDERIGIANA

PRO OBTINENDO

GRADV DOCTORIS

D. VIII SEPTEMBRIS A. R. MDCCCLV

ILLUSTRO ERVDITORVM EXAMINE SVMMITIT

IOHANNES GOTTLIEB SCHNEIDE


HALLENSIS MAGISTROLOGVS



HALLA

AT PUBLIS MILLEBANKS





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**APOPHLEGMATIZANTIVM**  
INCONSIDERATO VSV,  
FREQUENTI CATARRHALIVM  
ADFFECTVVM CAUSA.

---

PROOEMIUM.



**I**n suscipiendo hoc praefandi studio a me  
impetrare non potui, quin in limine  
statim meditarer cogitareque de  
damnis, in genus humanum, variis  
saepe iisque grauissimis morboſis in-  
sultribus vexatum, Medicorum, rem  
suaſam medicam parum conscientioſe

A 2

inge-

ingenueque facientium, vel incuria et negligentia quadam, vel, quod pessimum est, ignorantia empiricoque conamine facto, redundantibus. Etenim, cum neminem vtiq̄ue mortalium reperias, qui totam vitam suam atque sanitatem ab omni aegritudinis genere immunem transigat semper atque ex omni parte inconcussam, tanto maioris momenti, quanto pretiosius est beneficium bonae illibataeque valetudinis, illa esse praesidia, quibus praecipari quasi atque in primis suis originibus sufflaminari possunt morbi, neminem sane fore, qui in contrariam abeat sententiam, nisi omni sanae rationis usu prorsus destitutum, arbitror. At enim vero, si ex ipsis, quae totus materiae, quam vocare solent, medicae apparatus exhibet, remediis, iniuste, nec debitis sub cautelis adhibitis, aegris non solum non quidpiam adfertur leuaminis, sed ii etiam vel in alios, difficilioris saltem curationis, morbos, quid? quod in ipsum nonnunquam vitae discrimen redduntur praecipites: quanta hinc Medico, conscientiose aequae ac perite artis exercitium suscepturo, incumbat attentio quantaque circumspectio, ne peruersae inconsiderateque oblata aegro medicina fatalis euadat ac venenosa, quis non primo statim intuitu facile capit? Haec res plurimorum iam et non inglorii nominis Medicorum exercuit ingenia, qui, vt committendis eiusmodi erroribus ac damnis, ex medicamentorum incongruo vel nimio usu futuris, praescinderent demerentque occasionem, in hoc labore gloriose desudarunt. Habemus sic, inter alia huius argumenti scripta, Dissertationem, subacto ingenii acumine contextam atque elaboratam, de *intempestiuo Diureticorum usu, frequenti adfectuum nephriticorum causa*, non mul-

multis abhinc annis sub Praesidio Illustris BÜCHNERI publice ventilatam: nec non aliam, de *intempestivo Purgantium usu, frequenti haemorrhoidalium adfectionum causa*, elegantissime conscriptam, et eodem Illustri Viro Moderatore defensam. His mecum penitatis, cum, pro obtinenda Lauro doctorali, elaborando inaugurali meo Specimini materia esset seligenda, quae non adeo trita sit ac vulgaris: non omni eam fore destitutam vsura existimaui, quam in praesenti commentandam atque pro ingenii mei viribus exactius adumbrandam constitui, de *inconsiderato Apoplegmatizantium usu, frequenti catarrhali morborum causa*. Tribus thema hoc eruenda apoplegmatizantium remediorum indole agendique modo; *secunda* exponet pathologiam catarrhali-um adfectuum; *tertia* denique modum ostendet, qua ratione catarrhales morbi frequentius ex inconsiderato eorundem vsu, velut foecunda genitrice, oriuntur. Iis iam vero, quae erant praefanda, absolutius dictis, nihil amplius restat, quam vt summum, qui cuncta gubernat in hoc Vniuerso, moderatorem, Deum O. M. humillimis obtester precibus, vt qualemcunque hunc laborem meum in sui gloriam et proximi salutem succedere clementer iubeat. Ceterum Dissertatiunculam hancce lecturis me commendo, eosque, vt eam aequi bonique habere velint, enixissime rogatos volo.

S E C T I O I.  
DE  
M E D I C A M E N T O R V M A P O P H L E G M A -  
T I Z A N T I V M I N D O L E , A G E N D I Q U E  
M O D O .

---

## §. I.



am ad ipsam Speciminis nostri inauguralis pertra-  
stationem descensuri, ne in primis statim eius-  
dem primordiis logicas violemus leges, apo-  
plegmatizantium remediorum definitionem an-  
tea praestruendam habemus. Sunt vero nobis  
*apoplegmatizantia proprie ea remedia, quae salivalem laticem  
pariter ac mucosam materiam, in toto faucium ambitu et membra-  
na illa pituitaria, vulgo Schneideriana dicta, haerentem, proliciendi  
ac confertim secernendi facultate gaudent.*

## §. II.

Praemissis sic, quae ad stabiliendam apoplegmati-  
zantium remediorum definitionem erant necessaria, nunc  
in partium illarum, in quas actionem suam primario solent  
exerere, *structura* atque indole, exquisitius, quoad per bre-  
vitatatis, quibus circumscribimur, limites fieri potest, inda-  
ganda examinandaque sumus versaturi. Cum enim, quae-  
que in oeconomia nostra animali contingunt, omnia pecu-  
liari, in ea quomodocunque factae, debeantur mutationi;  
tanto minus huic negotio superfedere possumus, quo mag-  
is et nostra, et Lectorum interesse arbitramur, causas ta-  
lium effectuum, a qualicumque illarum, quae compingunt  
corpus humanum, partium fabrica dependentium, com-  
muni-



*inconsiderato usu, frequenti catarrhal. adfect. causa. 7*

municare. His si instructi sumus praesidiis, non deerunt nobis deinde fontes, e quibus ratio est petenda, quomodo medicamentorum, prolixius hic pertractandorum, actio contingat et absoluat.

§. III.

In quas praecipue corporis nostri partes suam immediate exercent virtutem atque efficaciam apophlegmatizantia remedia, eas constituunt inprimis fauces atque narium interiorum substantiam circumuestiens *membrana, ductusque salivales*, in os sese aperientes. Tantum vero abest, ut exactissimam absolutissimamque harum partium structuram ex Anatomicorum reperamus monumentis, ut potius, quae proprius ad scopum nostrum pertinere existimamus, *vasorum tantum nervorumque*, ad fauces nariumque interiora abeuntium, ampliorem habeamus rationem, reliqua autem, cartilagineum nempe, ossiculorumque diuersi generis gregem, inpraesentiarum a tergo relicturi. Praeterea quoque iis, qui vel a limine salutarunt medicinam, res iam est notissima, haud vllum esse omnino consensionis nexusque arctius vinculum, quo omnes machinae nostrae, tam insigni artificio structae, inter se cohaerent partes, quam quod ipsi nervi vasorumque efficiunt canales; vnde actionem remediorum deinde fusius explicandi habebimus copiam.

§. IV.

Arqui nunc ipsos quod attinet *canales arteriosos*, vitam humorem purpureum continentes, atque ad fauces aequae ac interiora narium, mollem nempe ac pulposam, tam posteriorem, quam anteriorem illam, ab inuentore, *Schneiderianam* cognominatam membranam transeuntes, eamque multiplici implicatoque tractu perreptantes: eos inprimis

mis carotidem externam agnoscere genitricem, anatomes periti suis demonstratum dedere sectionibus, in defunctorum cadaveribus institutis. Producti exinde emissique copiosissimi ramuli, a paulo notabilioribus propaginibus, arteria videlicet maxillari interna, tribus nasalibus, suprema duabusque lateralibus a), palatina, ophthalmica, ac demum infraorbitali, undiquaque distribuuntur disseminanturque per hanc membranam. Omnes, quotquot iam dedi enumeratos, hi ramuli arteriosi, comites nacti sunt *venas*, quodammodo licet exiliores oculisque non tam facile conspicuas. Ista a notabili eminentiorique plexu muscoli pterygoidei externi recipiuntur, communicantque cum durae matris sinibus, ac demum in externum venae iugularis internae ramum, quotquot sunt, suos effundunt humores.

## §. V.

Breuiter sic expeditis iis, quae vasorum considerationem spectabant, *neruorum* porro, ad fauces, atque tam anteriorem, quam posteriorem membranam Schneideri pituitariam, anteriorem narium fauciumque regionem inuoluentem, digredientium, examen restat. Hoc absoluturi, si Neurologiae scriptores consulimus, istae, quae in hanc membranam implantantur, neruae ramificationes, suos inprimis debent natales *olfactorio* sic dicto *neruo*, qui intra anteriores cerebri lobos furculo laterali, et cum filamento recto, a medulla lobi anterioris, primo exit; inde vero in copiosissimas dissectus distributusque fibrillas, in pituitariam sese diffundit membranam: qua propaginibus furculisque suis instruita, per

a) Fidem nobis facturi, allegamus hic *Illustr. de HALLER primas lineas Physiolog.* §. CCCCLIX. p. 240. Edit. primae; vbi de arteriosis hisce canaliculis solidissime commentatus est.

*inconsiderato usu, frequenti catarrhal. adfect. causa. 9*

Et, per foramina ossis cribrosi ad ipsum descendit narium septum, ulterius vero investigatus Anatomicorum oculos fugit. Non minus quoque a quinto, quod vocant, *neruorum pari 1)* notabiles ramulos nerveos adire narium interiora, anatomes periti suis luculentissime ostendere annisi sunt monumentis. Praecipue ex secundo paris quinti, quod *maxillare superius* vocant, ramo, postquam per foramen rotundum cranio excessit, nerveis instruuntur filamentis omnes maxillae superioris partes, labra, nasus, palatum, uvula, gingivae ac dentes. Quarum omnium subtilissimam explorationem omittere nos posse facile existimamus, ne, et, cui studemus, breuitati officiamus, et haec Dissertatiuncula in maius, quam praefixi eius cancelli admittunt, excrescat volumen.

§. VI.

*Modus* Nunc ductus isti supersunt, *salivae* inprimis excernendae functioni dicati. Hos persequuturi eorumque fabricam brevissime saltem adumbraturi, peruestigandum habemus ante omnia eorum ortum, quem glandulis debent. Hos vero canales, salivalem humorem effundentes, membranaceae esse indolis, ars cadauera secandi demonstrat. *Primus* et maximus eorum e glandulis maioribus, parotidibus dictis, vtrinque iuxta aurem et inferioris maxillae angulum insertis, prodit, tres fere digitos transuersos longus, culmi autem straminei crassitiem plerumque aequans: inde vero transcendit musculum masseterem et in medio genae, perforato musculo buccinatore orisque membrana, prope secundum tertiumve dentem molarem, hians, copiosa largaque

III 2

b) Exactissimam huius nervi descriptionem Clariss. suppeditavit Io. Fridr. MEKELIVS, Dissertat. sua de *Nervo quinti paris*. Goetting. 1748.

10 *De medicamentorum apoplegmatizantium*

que salivae effusione os irrigare solet, ab inventore *Stenonianus ductus salivalis*, siue *superior* cognominatus. Hunc excipit alius, priori paulo tenuior, illo vero saepius longior, *Warthonianus c)*, vel *inferior salivalis ductus*, qui a glandulis maxillaribus ex variis radicibus coalescit et sub lingua, simplici plerumque, nonnunquam duplici, quandoque etiam, quamvis rarius, triplici hiatu sese aperit, contentumque humorem in os effundit. Tandem etiam foramen linguae, *coecum* quod appellare solent Anatomici, hic non est praeteridendum, a *MORGAGNO d)* aliisque inuestigatum, primumque a *VATERO* pro ductu salivali declaratum, quod multis etiam experimentis exacte diligentissimeque demonstratum dedit.

§. VII.

Expositis huc vsque, et ex Anatomicorum scholis, quae ad indagandum remediorum apoplegmatizantium agendi modum praemittenda nobis visa sunt, repetitis, nunc, antea quam hanc vterius persequimur adserionem, nostram mentem, qualia inprimis, inter apoplegmatizantia, inconsiderato vsu periculum inferentia, accusamus, explicaturifumus. Ad talia, abusu nociva futura, referri inprimis meretur tam *Tabaci*, quam *sternuatoriorum* iusto frequentior et eppiosior vsus. Et circa duas has apoplegmatizantium species tota versabitur nostra consideratio. Prius vero, quam speciatim earum actionis modum definiendum sumimus, generatim de medicamentis, in corpus nostrum agentibus, nonnulla adhuc subiungemus monenda.

§. VIII.

c) Adenograph. Cap. XXI.

d) Advers. I. Tab. I.

§. VIII.

Medicamenta, vt corpora, vel externe ad corpus nostrum adplicata, vel interne exhibita, mutationem huic, ad restaurandam eius perditam valetudinem, inferant necesse est. Quum diuersimode porro agant medicamenta et multiplex omnino eorum deprehendatur vis atque virtus, vtique nobis, diuersam hanc eorum operationem inuestigaturis, indagandum erit, vnde hoc veniat, et quaenam adeo insignium mutationum, in machina nostra, medicamento- rum beneficio, productarum, causa sit atque ratio. Atqui hanc ipsam variae imprimis eorundem mixtionis, seu constitutiuus, quae vocari solent, partibus, diuersimode mixtis, deberi, adeo clarum est, vt nulla plane ampliori egeat inquisitione.

§. IX.

Ad triplex praecipue vero genus omnis, quaeque eadem est, medicamentorum actio reduci a Medicorum plerisque solet reuocarique. Corpus enim animale nostrum cum ex solidis aequae ac fluidis structum sit atque conflatum partibus; exinde diiudicatu erit quam facillimum, mutationem in illo, per medicamenta excitandam, intelligibilem fore demonstrabilemque ex actione, vel in *fluida*, vel in *solida* separatim contingente, vel in *utrisque* simul facta. Interim vero haec ne in strictissimo, quod aiunt, sensu accipiant Lectores, innuere debemus; quandoquidem cuncta fere, quibus vel in *fluida*, vel in *solida* separatim agendi tribuitur facultas, medicamenta, suas in utraque simul et coniunctim quasi exercere autumamus vires: nullo quippe modo *fluida*, ex oblato medicamento, mutari alterarique posse arbitramur, quin ex parte saltem *solida* eodem simul adfecta deprehendantur,

dantur, et e contrario solida non stimulari posse, fluidis non aliquo modo saltem in consensum aliquamque inde mutationem inuitatis. Nihilominus vero ex his, quae in limine huius § dicta sunt, contradictoria non sunt ominanda, dum vis medicamenti maior saltem, quatenus vel fluida magis, vel solida praecipue irritat aut commouet, hic erit intelligenda, adeoque a priori saltem, vel in fluida, vel in solida, agendi facultate denominationem nanciscetur.

## §. X.

Haec de medicamentorum actione generatim dicta sufficiant. Ad apoplegmatizantium vero remediorum agendi modum, specialius nunc inuestigandum, transituri, triplicem denuo eorundem actionem deprehendimus. Referuntur nempe ad ea talia remedia, quae in solida fluidaque simul agentia praedicantur, operanturque vel *detergendo*, vel *diluyendo*, vel denique etiam *stimulando*. Inter ista vero ad qualem classem *Tabacum* sit referendum, quoque modo eius in corpus humanum actio definiri possit, ex partibus eius, quae vocari solent, constitutivis, petendum habemus, vapore quibus mutationum deinde, ex usu eiusdem in corpore oriundarum, solidiorem reddere possumus rationem.

## §. XI.

Superuacaneum profecto foret ex historia naturali peregrinum plantae huius, antea quam in nostro quoque colebatur solo, natalem locum e primis suis eruere quasi incunabulis, atque ex Botanicorum scriptis eiusdem indagationem subtiliorem, hic locorum ex omni parte inutilem atque intempestiuam futuram, operosius suscipere. In sola igitur eius partium constitutiuarum exploratione erimus occupati; in qua diligentius absolucnda chemica nobis ad-  
unda

*inconsiderato usu, frequenti catarrhal. adfect. causa. 13*

unda sunt scrutinia; illis enim qui submittit hanc plantam, experimentando erit certior, Tabacum tam ex aqueis et oleosis, quam salinis alcalicis, terreisque potissimum compositum esse partibus elementaribus; quibus omnibus demum quoque particulae subtiliores tenerrimaeque oleosofalinae, volatilis naturae, accedunt, odore suo faris sese proferentes, nariumque nervulos, inde irritatos, grauitur ferientes.

§ XII.

Praeter has (§. XI.) recensitas enumeratasque Tabaci partes, quas vocant, constitutivas, ei quoque salis acidi vestigia quaedam inesse, exinde coniectura tanto facilius adsequi possumus, quod ex chemicis experimentis, frequenter iamiam cum eius foliis institutis, certiores sumus, plantam illam substantiam resinofam in sinu suo fouere, quae omnino subtiliori sali acido, in exigua licet mole praesenti, cum oleosis partibus inrimis coniuncto atque connexo, erit tribuenda. Quoniam vero particulae illae salinae acidae, ob mixtionem suam profundius absconditae, aliorum simul elementarium principiorum consociatorum vinculis sunt ligatae, hinc eadem omnino in conspectum prodire nequeunt.

§ XIII.

Cognitis sic atque extricatis Tabaci principiiis elementaribus, nunc eius *agendi modum* sumus expedituri, si aerefactum praecipue in usum vocatur. Quaestionem itaque formaturis, quale sit illud principium, in corpus agendi facultate instructum, responderi potest, istud, ut nos putamus, acre esse elementum salinum, et narcoticum illud, in Tabaco praesens, principium, siue stupefaciens. Inprimis vero insignem illam Tabaci, quam iamiam abunde experientia compertam habemus, actiuitatem ab alcalino sale deri-

uandam fore, illudque sic vel maxime hic in censum venire debere, necessum iudicamus; quandoquidem alcali, utpote mordaci suo sapore acerrimum iam notum sal, si corpori viuo adplicatur, fibras eiusdem vellicando grauiusque ad crispaturam stimulando, suam exferere solet actionem.

## § XIV.

Caue autem existimes, sal alcali, in Tabaco reconditum, liberum esse in sua in corpus humanum actione. Ab aliis quippe adsociatis commixtisque particulis heterogeneis, illud cicurantibus, vis eius valdopere impeditur, quoque magis abundant tales particulae heterogeneae admixtae et cum illo coniunctae, eo magis infringitur eius actio, eo magis illud domatur. Qui Tabaci fumo fugendo adsueri sunt, illud fistulae intrudunt, eaque dein accensa, sic pedentim constituentes eius partes, in fumum, ignis beneficio, resolutas, vinculis suis liberant, sola remanente terrea mole, cum notabili salis fixi portione in cinere haerente, et tam sapore ipso, quam ex effectu summe irritante, si vulneribus cinis Tabaci, successiua suctione in fistula combusti, inspergatur, cognoscenda. Fumus ille, consuetudine sic iubente, ore receptus atque haustus, et alternatiue denuo redditus emissusque, reliquas partes constitutivas socias secum comitesque habet, per fistulam os ingredientes. Oleoso-salinae igitur particulae tunc narcotica vi ac stupefaciendo agant, necesse est: salia vero magis fixa, tali modo liberata, oleoque non tam arcte amplius nupta, irritabunt vasa, et contractionem maiorem crebrioremque inferendo ductibus praecipue salinae excernendae dicatis, humorem huncce, vel maiori, vel minori copia, pro circumstantiarum subiectorumque ratione, in oris cauitatem effundunt exprimuntque, in vniuerso ceteroquin etiam corpore humores simul ad cele-



*inconsiderato usu, frequenti catarrhal. adfect. causa. 15*

celeriores motum atque vegetiorem progressum inuitando sollicitandoque. Hisce igitur satis nunc instructos esse arbitramur lectores nostros, quum, quantum potuimus, verum Tabaci agendi modum, ex partibus eius constitutivis, quas explicatius inpraesenti enumeratas dedimus, depromptum atque deriuatum, cum illis communicare adnisi sumus.

§. XV.

Iam vero ad alteram apophlegmatizantium speciem, *Sternutatoria*, seu, ut tecnico termino utamur, *Ptarmica*, progressuri, eorumque agendi modum inuestigaturi, transeundum praecipue est ad illorum, quae tali efficacia gaudere existimantur, exactius scrutinium. Parem propterea ut in his quoque indagandis attentionem adhibeamus, nostra quam maxime intererit. Ipsum huius generis medicamentarium apparatus, ex materiae medicae scriptoribus petendum, si consulimus, omnia, quotquot eorum sunt, ptarmica, siue sternutationem producentia remedia, salinis principiis, tam fixis, quam volatilibus, instructa esse, ex chemicis, cum illis instituendis, experimentis prolixè docemur.

§. XVI.

Inter ceteras vero horum remediorum constitutivas partes, salinum illud principium hic solitarie attendendum esse facillime nobis largituri sunt Lectores. Cum omnium enim Sternutatoriorum operandi vis a solo hoc salino elemento, in illis existente, pendeat, omnesque mutationes, ab illorum usu in corpore nostro productae, particulis istis sint tribuendae; hinc etiam omne momentum actionis in iisdem vnice erit ponendum. Et iuxta haec igitur, quae iam dicta sunt, agendi modus *ptarmicorum* absolvitur, partim nempe serum mucosum, ob salinas moleculas, incidendo et fluxile reddendo, partim nervosas narium membra-

16 De medicamentorum apoplegmatizantium

branas, quae durae meningis propagines sunt, fortius stimulando, atque fibrillas tam membranaceae texturae, quam vasorum ad nares digredientium systema, irritando et ad contractionem sollicitando, ut contenti in illis humores vi et convulsio quasi motu explodantur.

§. XVII.

Pro conditione autem et quantitate salinarum talium molecularum, quibus ptarmici impraegnata sunt, eorum quoque actio est definienda, ut, quo maior sit salini principii, ptarmicum ingredientis, copia, quoque liberius sit illud sibi que soli relictum, eo fortior quoque deprehendatur vis atque facultas fibrillas, tam vasorum, quam membranam ipsam *Schneideri* pituitariam ad contractionem et crispaturam inuitandi: et sic ab altera parte, si salinae istae particulae non tam copiose praesentes, vel magis impeditae atque inuolutae sunt ab adiunctis, actio eorum quoque remissior, hebetior, debiliorque erit.

§. XVIII.

*Erbina*, utpote actiuitate ptarmicis posteriora, itidem instructa sunt salinae profapiae particulis, subtilioris tam volatilis, quam fixae naturae. Hisce pari modo, ut in ptarmicis, rationem et causam omnium mutationum, in corpore ex eorum usu contingentium, tribuendam habemus. Quam vero pariori plerumque praesentes sint copia et mole, simulque ab admixtis principiis aliis constitutius in sua agendi facultate magis debilitentur; hinc in aprico positum est, quare ptarmicis teniori saltem stimulo partes, tam vasculosi generis, quam membranaceas adficient, constrictorium morum modeste inuitent, atque adeo humoribus e narium caernis exsillantibus, iter commodius parent, simulque maiorem noui liquidi affluxum versus illam regionem excitent atque prolificent.

§. XIX.

*inconsiderato usu, frequenti catarrhal. adfect. causa. 17*

§ XIX.

Verum enim vero omnis horum medicamentorum agendi modus, qui ex salinarum particularum irritatione, in fibrillis corporis nostri viui facta, primario deduci debet, quam maxime etiam restringendus est secundum ipsam fibrarum cuiuslibet indiuidui indolem, prout nimirum eadem vel laxae, vel strictae, tenerae vel densae sunt, seu, vt sententiam meam clarius exponam, secundum temperamentum, quod aiunt, conditionem, cuius vel maxime ideo rationem nos habere oportet. Iam vero constat satis et coniectura facile adsequi possumus, quod hac maxime ex tensione ac densitate fibrarum gradus etiam actionis salium diiudicandus sit: quo maior itaque haec erit fibrarum tensio, eo maior quoque morus erit inde oriundus. Vterius concludendo porro progredientes, deprehendimus in cholericis maiorem tensionem ac densitatem fibrarum, quam in melancholicis, in his maiorem, quam in sanguineis, ac in his denique maiorem, quam in phlegmaticis. Quae planior ergo exinde poterit formari conclusio, quam quod etiam salina adductorum huc vsque medicamentorum principia fortius agant atque acrius stimulent in cholericis, quam melancholicis, in his vero magis, quam in sanguineis, ac in sanguineis tandem actiuora sint, quam in phlegmaticis?

SECTION II.  
PATHOLOGICAM CATARRHALIVM  
ADFFECTVVM CONSIDERATIONEM  
EXPONENS.

§ XX.

**D**efinitis iam in Sectione prima, cum partium, in quas praecipue suas apophlegmatizantia exercere solent vi-

lev

C

res,

18 *De medicamentorum apoplegmatizantium*

res, structura, ex Anatomiae fontibus haurienda, tum ipso horum remediorum, quae ad Tabacum solitarie et Sternutatoria reduximus, agendi modo, ex eorundem partibus, quae solent appellari, constitutivis petendo; nunc in altera hac Sectione circa causas, catarrhales adfectus inducentes, versabimur, atque hoc nobis datum negotium succincta brevique, quantum quidem fieri potest, expediemus oratione.

## §. XXI.

*Catarrhi* nomen vero, quum diuerso, tam latiori, quam angustiori sensu in scholis scriptisque Medicorum vsurperur; nostrum inde erit eius aliqualem saltem, velut in transitu, interuicere hic mentionem, atque addere simul nostram quoque mentem, in quo praecipue significatu illud a nobis intellectum volumus. Quod graecae sit originis, et defluxionem humorum, generatim ad ceteras corporis partes e capite ruentium, denotet, vel ipsi quoque norunt, qui rerum medicarum mediocriter tantum gnari sunt; nos vero speciatim *catarrhum capitis*, seu capitis catarrhales morbos, horumque in primis causas hic suppeditabimus definitas inuestigasque.

## §. XXII.

Qua in re insigne laboris pariter ac temporis compendium habituri sumus, si generatim tantum respectus nobis erit partium solidarum, vasorum nempe, humoribus repletorum, ab altera parte, vt nimium laxa, patula et impingentibus humoribus iuste refranendis imparia, ab altera vero, vt nimium constricta, transuehendoque hinc humido obicem quasi ponentia, considerandorum. Non minus vero et ipsius, quod canales transit, liquidi, succorum nempe, tam sanguineorum, quam serosorum et lymphaticorum indoles nobis est respicienda, horumque intuitu vitium in eo latitare potest, quod vel nimium tenues atque aquei, vbi simul acrimoniae, plerumque coniunctae, inquinamento infecti sunt, vel

*inconsiderato usu, frequenti catarrhal. adfect. causa.* 19

vel spissi nimium, visceridi atque valdopere tenaces sint. Et, quae hic dicta sunt, fontes erunt, caulis deinde catarrhalium adfectuum fundamentum praebentes.

§. XXIII.

Iam si vasorum glandulosoformaeque ac arteriosoformae, tam anteriorem, quam posteriorem membranam pituitariam, narium cavernas fauciumque ambitum circumvoluentem, tortuoso tractu perreptantium *oscula*, quomodocunque etiam eorum tonus naturalis perditus laxitasque inducta fuerit, *perpetuo hiantia* patulaeque reddita sunt; tunc mucosum humorem suum confertim et iusto maiori copia plerent necesse est, ob imminutam deiectamque solidorum elasticitatem, resistantiamque magis adeo interceptam, atque hinc versus illum locum copiosius ruentium humorum maiorem affluxum: unde nihil aliud dein accidere potest, quam ut mucus hic tandem, sine intercedente mora confertim transsudans, convenientem suam crasin, mixtionem ac tenacitatem exuat, magis, quam par est, tenuis et aqueus exhalet, et sic catarrhalibus defluxionibus generandis perquam aptus euadat.

§. XXIV.

Haud leuiores etiam inde incommoda morbose, ad catarrhalium classem pertinentia, deducenda sunt, quando harum partium *canales* arteriosi glandulosique *conspicati* sunt atque *obstructi*, quod vel contingere potest ab ipsis, quos vehunt et amplectuntur, humoribus, nimium vel inspissatis et in crassiores substantiam coactis, vel ab alienis etiam, et, qui vocantur, heterogeneis liquoribus, per loci errorem quasi in hos canaliculos delatis, vel denique a quacunque alia causa, membranaceam texturam, magis per se irritabilem, cum suis glandulis arteriolicisque vellicante et constringente: exinde igitur prohiberi nequit, quo minus mucosus hic liquor, ob spasmos, constrictionem, obstructionemque nullo modo pro-

mouendus, impactus quasi haereat vasis, et ipsam hac ratione inducat stagnationem fomitemque grauedini inprimis, et aliis catarrhosis capitis adfectibus praebeat.

## §. XXV.

Nunc vero ipsos humores, ductus glandulosos arteriososque tubulos, tam narium, quam faucium transeuntes, inuestigaturos nos considerare oportet, quoruplex sit vitium, quod eos infectos quasi ac morbosos reddit. *Triplicis* autem generis illud esse affirmamus, quod mucum hunc praecipue corrumpere solet, *inquinamentum*. Primum quippe vt statim expediamus vitium, *nimiam*, qua laborat saepe numero iste mucus serofus ac lymphaticus, *tenuitatem*; ea tanta est interdum, vt vel ipsi aquae summe fluidae possit aequiparari: atque hanc ipsam mucosi huius humoris deprauati mixtionem deberi maxime autumamus, partim summe resolutae sanguinis, vnde fecernitur, massae; partim vitalis huius liquidi abundantiae praesenti; partim etiam itidem huius humoris, aut aëris ipsius impurioris, naribus oreque attracti, acrimoniae, continuis irritationibus ac stimulis canales, hunc mucum vehentes plorantesque, vexanti; partim denique vero ipsi osculis sinibusque horum tubulorum, quomodocunque paralytin patientibus. Alterum deprauati ac corrupti huius mucigenus constituit eius *vini*, saepe adeoque magna *tenacitas* ac *spissitudo*, vt visco etiam simillimus fiat et faucium parietibus quam arctissime adglutinarus quasi haereat. Huius visciditatis ac tenacitatis mucigenae causam latere in ipsa sanguinis spissi viscidique crasi, indole ac mixtione, si putamus, non multum a vero recedere atque aberrare videbimur: interim et hoc efficere potest impedimentum quodcunque et a quacunque causa eorum, quod prohibet, quo minus liquor iste mucosus e glandulis suis latibus diuerticulisque secundum naturam effluere possit, sed magis retardetur atque spissitudinem successi-

*inconsiderato usu, frequenti catarrhal. adfect. causa. 21*

cessiue et visciditatem induat. Tertium denique genus vi-  
riosis huius corruptique humoris consistit in *acrimonia* valdo-  
pere stimulante atque vellicante, quae ex cacochymica omni-  
um humorum indole ac eorundem dyscrasia, tanquam foe-  
cundo, vt multorum aliorum, sic et praecipue catarrhalium ad-  
fectuum parente, impuras suas solitarie capere solet origines.

SECTIONO III.

MODVM INCONSIDERATI APO-  
PHLEGMATIZANTIVM VSVS, TANQVAM FRE-  
QVENTIS CATARRHALIVM MORBORVM  
CAVSAE, EXPOSITVRA.

§. XXVI.

Considerauimus apophlegmatizantium remediorum agen-  
di rationes; exegimus, quoad eius fieri poruit, et ea,  
quae ex pathologicis principiis, ad intelligendas distinguen-  
dasque causas, catarrhalium morborum seminia fouentes,  
erant repetenda. Lecturis ergo vt et nunc quoque *modum* de-  
claremus, iuxta quem inconsideratus eorum vsus frequens  
euadere possit horum adfectuum causa, nostrum erit; id quod  
in praesenti sine vltiori prolixiorique verborum apparatu  
iam sumus expedituri.

§. XXVII.

Is profecto peregrinus esset futurus planeque hospes  
in generalioris therapiae fontibus, qui ignoret, omnia, quor-  
quot sunt, medicamenta definitam tantum atque determina-  
tam exserere actionem, tam ratione molis, figurae, variantis-  
que specificae, quae dicitur, grauitatis, in eorum particulis  
praesentis: quam intuitu ipsius corporis, cui remedium of-  
fertur. Medico igitur, exacte officio suo defuncturo, maxi-  
me incumbat necesse est, vt prius, quam praescribit medica-

22 *De medicamentorum apoplegmatizantium*

mentum, tam aegroti, quam ipsius remedii, ei exhibendi, vires perfecte habeat notas atque perfectas.

§. XXVIII.

Iuxta haec, quae praemissimus, nunc in viribus medicamenti, ad gradum virium in corpore humano praesentium dirigendi, omne positum erit momentum. Aestimanda igitur est tam diuersa vis, in aegroti subiecto obuia, intuitu temperamenti, sexus, diaetae, morbi, vitae generis, etc: quam diuersae vires medicamentorum, respectu partium, quas constitutivas appellant, nec non modi, quo a corpore humano recipiuntur, receptiuivatis titulo noti, etc. ponderandae. Inconsideratus igitur esset futurus apoplegmatizantium vsus, si illa, tanquam remedia, ad gradum virium corporis, et partis in primis illius, in quam primario agunt, non reducantur; vnde dein loco sanitatis, cum aegroti reconciliandae, variis incommodis morbosisque insultibus aperta sterni solet via.

§. XXIX.

Atqui ea nunc, quae Physiologiae fundamenta nos docent, hic repetamus: *aetatem, sexum, temperamentum et vitae genus*; quorum respectus nobis in explanando ulterius inconsiderato vsu apoplegmatizantium, tanquam frequenti catarrhalium adfectuum causa, vel maxime erit necessarius. *Aetatem* intuituri, satis iam sumus conuicti, eam oeconomiae nostrae animali variam conciliare constitutionem atque indolem. Quod enim infantulos spectat, illorum corpora admodum imbecillia, succis maxime plena, summeque spongiosa, atque, quod solidas partes praecipue attinet, fibris, ob perpetuum incrementum, insigniter adhuc laxae cohaerentibus praedita esse constat. Si vquam igitur, certe hic summe inconsideratus foret apoplegmatizantium vsus, partim ob naturalem hanc corporis debilitatem, partim per se iam copiosiores seroformum humorum affluxum nimiamque eorum in hac aetate contingentem excretionem; vnde ex eorum vsu laxitas adhuc maior induceretur et atonia illarum partium, quae mucum plorant, naturalis, inualitura magis atque habitualis futura esset. Pueri et iuuenes firmiori iam fibrarum robore gaudent; et viri iustam plerumque fibra-



*inconsiderato usu, frequenti catarrhal. adfect. causa. 23*

brarum satisque validam nacti sunt constitutionem, ut proportionata hinc magis humorum in solida, et vice versa, deprehendatur vis, actio et reactio. Senum postremo fibrae rigidae erunt et humores spissi plerumque simul praesentes. Praeterea non transeunda est illa attentio, ad humores, pro aetatis ratione diuersimode sese mouentes, habenda; cum in infantilibus puerilibusque annis magis versus caput determinetur illorum motus; in adolescentili statu pectus magis occupet, ac tandem, crescentibus magis annis, inferiorem abdominis regionem petat. Ad has igitur rationes aestimari poterunt vires, discernendaeque etiam Medico facile sunt circumstantiae, quae, vel consideratum apophlegmatizantium usum, vel inconsideratum eundem fore, nos docere possunt.

§. XXX.

Iam a *sexu* quoque diuersitate satis valida momenta consideranda habemus. Mulieres quippe, quibus laxius plerumque et spongiosius prae viris a natura datum est corpus, succisque plenius, ac virili imbecillius apophlegmatizantibus, parum considerate oblati, tanto facilius catarrhalibus morbis adfectas fore iudicamus, quo laxiori minusque cohaerente compage, ut generatim omnium, sic speciatim illarum partium, in quae ista primario agunt, instructas esse luculentissime patet, ob iam a natura praesenti maiorem, quam apophlegmatizantia, incaute data, inductura essent, debilitatem. Non minus quoque damni ea prolarura essent, si in hoc sexu delicatulo eo adhiberentur tempore, quo muliebria corpora sanguine vel maxime turgida esse constar, e. g. proxime ante illud, quod singulis mensibus soluere solent, tributum; aut in eo statu, ubi per se humorum regurgitationem patiuntur, v. c. in lactatione: nec non si mensium lochiorumque negotium suppressum, aut eorum saltem profluuium quomodoocunque retardatum fuerit.

§. XXXI.

Cautissimam porro curatissimamque exigit aestimationem *temperamenti* ipsius indoles atque ratio, vnde quippe optime etiam diiudicare possumus, in quantum apophlegmatizantia considerate usurpata fuerint, nec ne? Quam enim temperamentum in singulari partium corporis proportionem mutuaeque illarum consensione et concentu, tam intuitu fluidorum mixtionis, quam fibrarum contextus et fabricae respectu, consistat: exinde necessario elucescit facile,

cile, vires quoque, secundum hanc peculiarem corporis humani naturam, medicamentis renitentes, ponderare nos oportere. Sic enim in cholericis, utpote admodum sensibili subiecto, cautior esse debet apoplegmatizantium usus, ne disponat, qui inde conferri possunt oriri, ad catarrhales adfectus. Et pari modo in melancholico, sanguineo atque phlegmatico, pro circumstantiarum indole et ipsorum horum remediorum usu abusive, omnis diiudicatio est instituta circa adfectiones catarrhales inde propullulantes ac oriundas.

## §. XXXII.

Denique *vitae genus* etiam hoc loco aliqualem saltem mereri indagacionem, non praetermittendam, existimamus. Siquidem ii a nobis in exemplum sunt vocandi, qui, per vitae suae, officiorum ac functionum rationes, pulmones aequae ac superiores partes nimium concitando frequentioribusque motibus exagitando, inde illis debilitatem qualemcunque contrahunt humorumque adeo maiorem copiosoremque affluxum versus illa loca inuitare solent. His ita sese habentibus, oratoribus sacris e. g. qui suaderet parum circumspicte apoplegmatizantia, is profecto, ex adductis iam supra rationibus, eosdem ad catarrhales morbos dispositurus facile reddirurusque esset praecipites. Etenim cum, quae speciatim commentati sumus, apoplegmatizantium classem ingredientia, *Tabacum* et *Sternutatoria* nempe, secundum eas, quibus agunt, partes salinas, irritando et qualescunque stricturas faciendo operentur, nosque simul fugere nequeat, quamecunque constrictionem etiam relaxationem debilitatemque inde inductam qualemcunque excipere debere; hinc cuique in promptu erunt rationes, quomodo et quo respectu haec remedia fomes et seminum morborum catarrhalium fieri possunt.

## §. XXXIII.

His nunc absolutis addi quoque possent specialius singularia morborum genera, in quibus ab apoplegmatizantibus, inconsiderate oblatis, catarrhalium dein morborum causae prolixius deduci et concitari possent: at brevitas, quibus circumscripti sumus, nimis angusti limites prohibent, quo minus in illis explorandis ulterius et latius nostra sese diffundere possit *Dissertatiuncula*. Speramus vero, ex his, quae modo exposuimus, generatim saltem aliqua in Lectorum usum redundatura esse commoda.

T A N T U M.

01 A 6543

ULB Halle  
002 931 672


3




Sb.

VO18/12







ERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

PLEGMATIZANTIVM

INCONSIDERATO VSV,  
VENTI CATARRHALIVM  
DEFECTVVM CAVSA,

QVAM  
ADNVENTE

ATIO SO MEDICORVM ORDINE  
REGIA FRIDERICIANA  
PRO OBTINENDO

DV DOCTORIS

SEPTEMBRIS A. S. R. MDCCLIV.

ERV DITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
S GOTTLIEB SCHNEIDE,  
HALENSIS MAGDEBVRGICVS.



HALAE,

ERIS HILLIGERIANIS.

